



Dass

NOT

+

4038
LOQUELARVM
IN
BASI
COLUMNAE ROSTRATAE
REPERIVNDARVM
BREVIS EXPOSITIO

QVA
PATRONOS ET FAVTORES
AD AVDIENDVM

LITERATVRAE ALVMNOS III
A. D. XXVII SEPT. HOR. X IN SCHOLA SENATORIA
DECLAMANTES

INVITAT

M. CONRADVS NAHMMACHER
RECTOR SCHOLAE OPPIDANAE HELMSTADIENSIS ET
COENOBII MARIEVALL' SVEPRIOR

HELMSTADII
STANNO LEVCKARDIANO

IOOUEE AN M
IN
BASIS
COLVMNAE FOSTRATAE

LATONOS ET PAVLOS
AD APOSTOLUM
LITERARUM AAVMOS III

A. D. XXVII SEPT. HOR. X. IN SCHOLA SENATORIA
M. CONRADVS NAHMACHER

HELMSTADII
STAMP. CAROLINO



LOQVELARVM
IN
BASI
COLVMNAE ROSTRATAE
REPERIVNDARVM
BREVIS EXPOSITIO

I

VT iam eo me, vnde nuper in columna rostrata c. DVLII describenda discessi, recipiam: singulas voces ei inscriptas aliqua prosequar commentatione; et literarum etiam ac vocum deletarum hiatus, reficere ascitiis et compescere annitar. Respiciam autem subinde duodecimam Schedii paginam, in qua literatam dedi columnae rostratae basin. Atque primam quidem in lineam reposui literas C D - - M. F. M. N. C. quae neque apud GRVTERVM neque CIACCONIVM habentur. Vnius autem PIGHII, quem BEGERVS videtur sequutus esse, adductus sum auctoritate, vt has non profus omiserim. quod NICOLAVS FLORENTIVS Batauus *accurate*, vt ipse refert PIGHIVS, cum eo columnae rostratae *communicauit* inscriptionem. Iam C litera, CAIVM procul dubio denotat. quo tamen in praenomine, C, G literae sonum, videtur habuisse. Ait enim QVINTILIANVS: (a) GAIVS, C litera notatur: TERENCEIANVS MAVRVS (b) addit: G sonat. D litera ad DVILII est nomen, de quo verba in Schedio feci, referendum. Vltro autem largiar, fuisse in monumento DVILIOS

A 2

scri-

(a) *Lib. I, cap. VII*

(b) Apud PVTSCHIVM, p.

III LOQVEL. COLUMNAE ROST

scriptum: cum, quod nihil est ea demutatione frequentius, ut in Claudiae gentis numo, VOLCANVS; in Volteiae, VOLTEIVS occurrit: tum, quod linea quarta, AXIMOSQVE MACISTRATOS, pro maximus magistratus legitur. Pergam. M' F' MARCI filius. M' N' MARCI nepos. Omisit hoc aui nomen, quod in Capitolinis etiam Fastis inuenitur, CIACCONIVS. Ego vero illud PIGHII ex auctoritate intercalavi. C. Consul. Solet plerumque in monumentis COS. poni. unde O et S extincta esse, CIACCONIVS non praeter rem autumat. Videntur hoc in versu desiderari loquelae; *aduersum cartacinienses, in Sicilia*, quae, ut respondeant reliquarum scriptioni, exarari hunc in modum poterant: ADVORSOM' CARTACINIENSIS' EN' SICELIAD

II

VERSU in altero, multo plurima desunt. Literae ANO, ad vocem ECESTANOS pertinuisse videntur. Nempe Egestani Romanis se dederant. CIACCONIVS hanc lineam, ita reddit: REM CERENS' ECESTANOS' COCNATOS' POPLI' ROMANI' ARTISVMAD. Tertio in versu, D legitur. idque paragogicum esse in voce OBSSEDEONE videtur. quod uniuerse, in ablatiuis casibus singularis numeri obseruatur. Primo quidem eo consilio, D litera adiecta a Literatoribus loquelis fuit, ut συναλοιφήν pariter, atque hiatum euitarent: (c) deinde, vsus in abusum abiit; ita,

(c) Vid. QUINTILIANVS,
Lib. I, cap. VII: DIOMEDES,
Lib. I, atque VOSSIUS in

Aristarcho, Lib. II, cap. XIV,
p. 207. Aptum iusti vsus exemplum, Romae in dome

MARI

ita, vt omnibus omnino casibus, quibus sonans in fine esset, nulla habita consequentis literae ratione, eam adiecerint, vt Firmi in agro Piceno, reperta quaedam tabula, cui inscriptum: (d)

 QVAISTORES
 AIRE MOLTADICOD
 DEDERONT

In voce EXEMET pro exemit considerandum, veteres E pro I adhibuisse. Ita DEANA etiam, pro DIANA, in NERONIS et DOMITIANI, apud MORELLIVM et PATINVM numis, legitur. Atque GRVTERVS, (e) e schedis EGLOPHI Episcopi Augustiani, refert inscriptionem hanc:

D, M, S
 VERECVNDIO
 CAESENSI, CAE
 SENNIANI, SALT
 VARIO, VRBA
 NA, FILIA, FECET
 PATRI, B, M, VIX

 A 3

LECI-

MARI MAFAEI, habetur: vbi quodam in monumento haec verba inveniuntur: PARTEM. MONIMENTID. EXTERIORIS. AREAE. CONCESSVM. SIBI
 ect. apud GRVTERVM

p. DCCCLXIII, n. 3. Immo, vel hodie etiam in compositione ea res observatur, vt in *redamo, redeo, mederga*
 (d) GRVT. p. LII, n. 12
 (e) P. DCLI, n. 6

VI LOQUEL. COLVMNAE ROST

LECTIONES, siue LECIONEIS, vt CIACCONIVS legit, scriptum pro legiones. qua ex voce intelligitur, veteres G literam, qua formam, (f) ignorasse. Id pariter, e numis etiam, potest demonstrari, in quibus ERCAVICA legitur, pro Ergauica: OCVLNIVS pro OGVLNIVS. (g) Coloniae etiam Agrippinae, in aedibus Consulis LIESKIRCHII, in ara legitur: (h)

TVTELAE

PL. M. M. L

SACRVM

IANVARIVS

INCENVS

EMERITVS

V. S. LL. M

Quo in monumento INCENVS est pro ingenuus. SPVRIVM autem CARBILIVM, G literae formam exclusisse, iam alio in loco commemoravi. Potest autem id ipsum TERENCEII SCAVRI verbis confirmari. qui, *pro nota C, adiectam esse ab SPVRIO CARBILIO nouam formam G literae praepositam*, (i) refert.

(f) Sonum enim G etiam literae, C consonanti, pro eo, quo collocata fuit loco, assertum fuisse; ex QVINCTILIANI et TERENCEIANI, quos infra commemoravi locis, potest intelligi.

(g) Vid. ANT. AVGVSTINVS, in *Biologis*, Dial. VII,

et EZECHIEL SPANHEMIVS, *Dissert. II*, p. 102

(h) Apud GRVTERVM, p. CIII, n. 8

(i) *Lib. de Orbogr. pag. 2253.* quo in loco, perperam apud PVTSCHIVM legitur CARRVTVS. Itaque VOSSIVS genuinam huic loco lectionem asser-

fert. Suppetit insuper PLVTARCHI, huius rei testificatio. Ceterum, sensus plenus emerget, si hoc in versu voces, CARTACINIENSEIS' OMNEIS adieceris

III

VERSU quarto, AXIMOSQVE est pro maximusque. Sed hac in Voce crucem figit hoc, vt non MAXVMOs fuerit exscriptum: quum tamen in CAII demum CAESARIS inscriptione factum videatur fuisse, vt mediam I literam, quae veteribus V fuerat, in optimus maximus, acciperent. (k) Atque AGNAEVS (l) etiam CORNVTVS, ex VARRONE refert, CAIVM CAESAREM, primum I litera hac in voce fuisse vsu. Poterat autem excipi; vsu literae V in maximus, demum post DVILII tempora inualuisse: nam quum eo tempore V litera multis Italiae, vt refert PRISCIANVS, populis in vsu non erat, (m) verosimile non est, eam ita apud Romanos esse frequentatam, vt in alius literae locum eam suffecerint. Carpit autem

asserturus, CARVILIVS reposuit. *Arist. Lib. I, cap. XXIX, p. 109.* Mihi quidem visum, scribere CARBILIVS. quod ea scriptio, apud PLVTARCHVM obtinet. ait enim quaestionibus in Romanis: Καὶ γὰρ τὸ Κ, πρὸς τὸ Γ συγγένειαν ἔχει παρ' αὐτοῖς. ὅψθ' γὰρ ἐχρήσαντο τῷ γάμμα. Καρβίλια Σπορίς προσευρόντος. Inter K et Γ literas, quaedam est veluti cognatio: sero enim

vsurpatum est gamma, quod SPVRIVS CARBILIVS inuenit. Videtur autem ea litera hunc in modum inuenta a CARBILIO esse, vt, quotiescunque C, G sonaret, apicem in ima literae C parte collocauerit, vt ne in lectu titubaret

(k) QVINCTILIANVS, *Lib. I, cap. IIII*

(l) Apud CASSIODORVM, *p. 2254*

(m) *Lib. I, p. 554*

VIII LOQVEL. COLUMNAE ROST

autem hunc scriptum per I CIACCONIVS. O in MAXIMOS esse pro V, ex iis quae ad DVILII nomen sum commentatus potest intelligi. In scriptu vocis MACISTRATOS pro magistratus, nihil est, quod non ex iis, quae iam dicta a me sunt, interpretari possit. Vnicum hac in linea L restat; quod pertinere ad vocem LVCAES, CIACCONIVS (n) diuinatur: cui subnectit voces BOVEBOS RELICTEIS. Refert enim PLINIVS Italos, primum in Lucanis elephantem, et quidem in bello cum PYRRHO Epirotarum Rege gesto, vidisse: ac hinc Lucas eos boues dixisse. Atque VARRO etiam verba, *Lucam bouem*, quae in ENNII quodam versu habentur per *elephantem* interpretatur

IIII

IN OVEM; N deest. CASTREIS est pro castris: vsu enim apud veteres veniebat, vt quando I longum esset scribendum, EI bisonantem, ob soni vtriusque literae cognationem, reponerent. Exemplorum abunde est. Memmiae gentis in numo, PREIMVS; in Plautiae, PREIVERNIVM: in Didiae, DEIDIAE. Casini in Campania, haec inscriptio habetur: (o)

CN. AGRIVS. CN. L. POLLIO
L LAVFEIVS. L. F. APOTHECA

IIII. VIREI. IOVR. DEIC

Quo

(n) Pag. 17

(o) Apud GRVTERVM, p. CXCHII, n. 5. Confer. SPANHEMIVS, *Diff. II*, pag. 119 et 122. FRISCIANVS ita ef-

fert: I quoque apud antiquos post E ponebatur, et EI dipthongum faciebat, quam pro omni I longa scribebant, more antiquo Graccorum. *Lib. I*, p. 561

Quo in monumento DEIC. est pro dicendo. Ea vero scriptio paulatim in defuetudinem abiit: Sed, in secundae declinationis ablatiuis pluralibus, atque singularibus etiam terthae declinationis datiuus, EI pro I, CICERONIS etiam aeuo exaratum fuit. Itaque SOVEIS pro suis in ara, (p) quae Meris apud PETRVM LEPIDVM reperiunda est, conspicitur: AVGVSTI In numo, CIVIBVS SERVATEIS: Fastis in Capitolinis, SABI-NEIS, POENEIS, cet. in NERVAE numo, PLEBEI VRBANAЕ FRUMENTO CONSTITVTO. (q) EXFOCIONT olim scribebant; nunc effugiunt. Monui autem iam infra DVILII in nomine, geminatas semisonantes olim non fuisse. Eadem ratione PLAVTVS etiam *exfodio*, pro effodio scripsit. Itaque PRISCIANI (r) regula, qui X in compositis F semisonanti cedere refert; recens nimis est quam vt ad DVILII tempora transferri possit. Ita quoque in MACEL. pro Macellam, (s) veteres non temere geminasse consonas literas intelligitur. Ceterum lacunam quinti versus CIACCONIVS vocibus, MOENITAM VRBEM, explevit

(p) Apud GRVT. p. CCCVII,
n. 8.

(q) Vid. RVHE *Specim. I.*, p. 63. Apud TERENCEM VAR-
RONEM occurrunt verba
haec: *A quibus iisdem princi-
piis antepositis praeverbiis pau-
cis, immanis verborum acced-
dit numerus. Lib. V de LL.*
In ea autem editione, quam
M. VERTRANIVS MAV-
RVS recensuit, (Lugdani ea
apud GRYPHIUM Ann.
MDLXIII prodit,) i esse pro
EI exscriptum video, p. 58.
Ceterum NIGIDIVS FIGV-

LVS apud A. GELLIUM, id
non omnino probat

(r) *Exe*, inquit, *praeponitur, ex-
cubo, excludo, efficio, effundo,
effero, in quibus et similibus X
in F commutatur Euphoniae
caussa. Lib. XIII, p. 595*

(s) Est ea quaedam Siciliae urbs,
quam DVILIVS, postquam
Egestanos liberasset, expu-
gnavit. Apud POLYBIUM
Μακελλαι dicitur. PLINIVS
autem atque LIVIVS, G pro
C hoc in nomine vsurparunt.
Vid. CIACCONIVS, p. 20

B

X. LOQVEL. COLUMNAE ROST

V

SEXTVM versum, ex CIACCONIO ita habe:
 PUCNANDOD' CEPET' ENQVE' EODEM' MACE-
 STRATOD' PROSPERE. id est: *Pugnando cepit, in-
 que eodem magistratu prospere.* In quo nihil est, quod
 non in antecedentibus obseruatum fuerit. Vellem au-
 tem CIACCONIVM potius MACISTRATOS legisse,
 quam MACESTRATOS: quod quarto versu ita scri-
 ptum est. QVINCTILIANI enim quem iactat locus,
 id vnice arguit: E et I literas frequenter esse inter se
 commutatas, quod haec etiam columna loquitur. Sed
 qui cogi inde potest hoc; subinde id, singulisque in loque-
 lis factum fuisse: inseruit enim tempori, vt ille ait, Li-
 teratura. Septimus versus, cum iis, quae CIACCO-
 NIVS de suo addidit, hunc in modum se habet: REM'
 NAVEBOS' MARID' CONSOL' PRIMOS' CESET'
 RESMECOSQVE. id est: *Rem nauibus mari Consul pri-
 mus gessit: remigesque.* Iisdem fere verbis TACITVS
 vtitur. Postquam enim dixerat, C. DVILIVM IANI
templum ad forum olitorium amplius struxisse: hunc enim
 haec verba sensum fundere LIPSIVS opinatur; ita per-
 git: *Qui primus rem Romanam prospere mari gessit, tri-
 umphumque naualem de Poenis meruit.* (t) Aduerte au-
 tem hoc in versu I literam in MARID, eminentem in-
 ter alias ac eductam. Atque hoc eo consilio a priscis
 Romanis factum videtur fuisse, vt I porrectum, eo pos-
 set commodius a brevi dignosci: sed ea ratio non fem-
 per est seruata. Visitur I eductum Tuderti in Vmbria,
 si exemplis est in re tam aperta vtendum, in vocibus,
 CVSTODI, SCELEROSSISSIMI, PVBLICI, DEFI-
 XA. (v) Romae in Capitolio: VICI, AVGVSTIS,
 PRI-
 (t) *Annal. Lib. II, p. 61* edit. (v) GRVT. p. XIX, n. 6
 LIPSII

PRIMVS, INIT. (x) Immo, DVILII etiam in nomine I eductum Capitolinis in Fastis conspicitur. Porro I etiam eductum fuit quando geminum II, vnam coalesceret in formam, vt in peruulgato illo, DIS MANIBVS, pro diis manibus (y)

VI

CLASESQUE NAUALES PRIMOS ORNAVET PARAVETQUE DIEBUS LX; id est: *Classesque nauales primus ornavit paravitque diebus LX.* Haec octava est, vt a CIACCONIO traditur, linea. Retulit ille dierum LX numerum e FLORO, qui eum diserte commemorat. (z) At enim verò, vtrum DVILIVS classis primus comparauerit, pendeo animi: quod FLORVS nihil definit, sed vniuersè de eo, quod gestum CORNELIO et DVILIO Consulibus, verba facit. Porro, quoniam ex ipsa historiae compage constat, CORNELIVM primo nauali cum Poenis pugna contendisse: non tota classe, sed μετὰ νεῶν ἑπτακάλδευα, vt ait POLYBIVS, περικατεπλεύσεν ἐπὶ τὴν Μεσσην. (aa) *Decem atque septem nauibus Messalam est profectus, reliquas iuxta*

B 2 ta

(x) GRVT. p. XL. n. 14. Vid. etiam Pisana, apud NORISI-
VM Cenotaphia, et VOSSI-
VM in *Arist. Lib. I, cap. XXIX,*
p. 108. Accidit autem hoc
aliis etiam literis, vt, in tabu-
lis Romae, in monte Coelio,
erutis legitur: PERFVNC TO,
PRAE TORIO, GRVT. p.
CCLXI, n. 1. ibid. n. 3. PRAE-
FECTVS LIBYAE
(y) Is autem, qui perperam in-
de concluderunt, I duplicem
literam esse, VOSSIVS obui-
am iuit, l. c. cap. XXII, p. 92.

Conf. IVL. CAES. SCALI-
GER, *Lib. I. de Caussis L. L.*
cap. XII, p. m. 32. add. PRI-
SCIANVS *Lib. VII, p. 739*
(z) *Lib. II, cap. II, n. 7*

(aa) *Histor. Lib. I, p. 9.* Pri-
mum autem Romanorum clas-
sem, centum sexaginta nau-
ium fuisse, FLORVS enarrat.
Vidit hoc etiam PIGHIVS,
qui vitio CORNELIO dat,
vt ante committere praelium,
quam reliquae naues vene-
rint, voluerit. *Tom. I, p. 22*

ta Italiae, id enim de suo, NICOLAUS PEROTTUS POLYBII interpretes addit, *oram relinquit*. Quin idem historiae auctor, non comparasse DVILIVM classem, sed διακομιζεσθαι πρὸς τὸν στόλον, (bb) *ad classem*, quam CORNELIVS instruxerat, *iter ait fecisse*. Itaque illud, PRIMOS ORNAVET, eo nomine DVILIO attribui existimauerim, quod naues ferreis manibus, coruifque instruxit: nisi magis haec se tibi interpretatio probauerit: qua, ob hanc causam ea omnia, quae honori CORNELIO cederent, DVILIO concedi, asseritur: quod ille victus a Poenis fuit: hic eos vicit

VII

NONA linea, eodem quo reliquae auctore resecta, haec est: CVMQVE EIS NAVEBOS CLASEIS POENICAS OMNIS PARATASQVE. *Cumque his nauibus, classes punicas omnes, paratasque*. Hic biuocalis OE separatum exscriptis literis conspicitur. Quare ii, quibus volupe est scriptionis compendiis in OE et AE biuocalibus uti, incassum ad veterum exempla prouocant. Numquam enim iste scriptus apud veteres reperitur, nisi loci angustia id suaserit. Atque tum id non in biuocalibus vnice; sed aliis etiam in literis, factum fuit. Decimo in versu apud CIACCONIVM, haec verba exstant, quae

(bb) *Hist. L. I. p. 10.* Non factis inter eruditos conuenit, vtrum CORNELIO, an vero DVILIO, classis primo fuerit tradita. ZONARA in *Annalibus*, DVILIO; PIGHIVS et alii CORNELIO id accidisse docent. POLYBIVS, Γαίος, inquit, Κορνήλιος ὄλιβιος ἡμέρας πρότερον συντάξας τοῖς ναυάρχοις. C. CORNELIVS

paucos ante dies, praefectus classi fuit. L. I, p. 9. Atque haec potior est sententia: nec enim classi praefici imperator poterat, antequam exstructae naues essent. Inde autem consequitur, ut ille auctor classis sit; cui demandata ea est: iam CORNELIVS ei primus imperavit, est ergo a CORNELIO comparata

quae consequuntur: *SUMMAS' COPIAS' CARTACINI-
ENSIS' PRAESENTED' MAXVMOD.* *Summas copias
Cartaginiensium, praesente maximo, subaudi ANNIBALE,*
non AMILCARIS sed GISCONIS filio, Dictatore.
Itaque Cartaginiensis *ἐξασυλλαβῶς* est scribendum: nam
eadem etiam scriptura Romae in hortis Carpensibus, et
ENNII quodam in versu habetur. (cc) Neque nota
etiam aspirationis admiscenda, licet CHARISIO (dd)
atque RHEMNIO PALAEMONI (ee) id familiare et
vsitatum fuerit. Iam, quod ad vocem PRAESENTED
attinet, vix et ne vix quidem mihi persuadere possum,
eam ita in marmore exaratam esse: quoniam ante AV-
GVSTI et CICERONIS aeuum, Graecanica biuocalis
AI subinde videatur exarata esse, vt in Aemiliae gentis
apud GOLTZIVM et PATINVM numis, item in Iu-
liae Gentis apud VRSINVM numo, CAISAR legitur.
Romae apud DELPHINVM: (ff)

A P L FLORA EX
AMENTO BONAI DEAI
SACRVM
ANNIA SOROR
TISIA LIBERT
FACIVNDVM
CVRARVNT

Itaque suspicor aliquid esse in describenda hac loquela
titubatam

B 3

VIII

- (cc) Vid. CLAVDIVS DAVS- (dd) *Lib. I, p. 47*
QVIVS in *Orithogr. Tom. II,* (ee) *Art. Gram. p. 137i*
p. 75. (Edit. Paris. Ann. (ff) *GRVT. p. LXXXI, n. ii.*
MDCLXXVII) Ceterum sca- Conf. PRISCIANVS, *Lib. I,*
LIGER *Cartaginiensis* scribit p. 56i

VIII

VERSUS Vndecimus. DICTATORED' OLOROM' IN. ALTOD' MARID' PVCNANDOD' VICET. *Dictatore illorum, in alto mari pugnando vicit.* OLOROM scriptum pro illorum. Eodem modo, *olla centuria, et ollus leto datus est, sole-mnes formulae apud VARRONEM (gg) habentur scriptae.* Apud FESTVM est, *ab oloes*, pro ab illis. Iam duodecimus insequitur versus, qui hunc est in modum comparatus: XXXQVE' NAVEIS' CEPET' CVM' SOCIEIS' SEPTEMRESMOMQVE' DVCIS. *XXXque naues cum sociis cepit. cet.* Triginta omnino naues a DVILIO captas fuisse e POLYBIO constat. Διὸ καὶ τριάκοντα μὲν τὰς πρώτας, ἰνquit, συμβάλλεσθαι ναῦς αὐτῶνδοις ἀπέβαλον. (hh) *Triginta naues, quae primo impetum in Romanos fecerunt, una cum ipsis viris cepit.* Atque idem etiam auctor est, ANNIBALEM, in ἐπιπέσει, τῇ γενομένῃ Πύρρῃ τῷ βασιλέως; (ii) *in septiremi PYRRI Regis fuisse constitutum.* Ex qua tamen in scapham defiliit. QVINRESMOSQVE, ita habet versus decimus tertius, TRIRESMOSQVE' NAVEIS' XX DEPRESSET. *Quinqueremes ac trirèmes naues XX depressit.* CIACCONIVS viginti naues fuisse depressas retulit hanc in lineam: quod POLYBIUS vniuersè quinquaginta naues Cartaginienfes dicat amisisse. EVTROPIO autem XIV; OROSIO XIII fuisse placet. In voce TRIRESMOSQVE, Sepentheticum conspicitur. quod aliis etiam in vocibus adhibitum a priscis est, vt in tabula marmorea parieti Palatii Columnensium inclusa legitur: T. FISEVIVS CRESCENTSIAN. PRO CRESCENTIANVS. Ita quoque *dusinosum* pro dumosum apud LIVIVM Andronicum scriptum fuisse, FESTVS refert

VIII

AVKOM' CAPTOM' NVMEI' CIO CIO CIO DCC. *Aurum*

ca-

(gg) *Lib. VI de L. L. p. m. 81 et 82* (hh) *Lib. I, p. 10* (ii) *Lib. I, l. c*

captum numi III. M. DCC. Siue Siculi isti numi fuerunt; siue Cartaginienfes: aureusenim numus demum A. V. C. DXLVII, vt ex PLINIO (kk) patet, percussus ab Romanis est. CIO (ll) autem millenarii numeri nota est. Versus XV hic est: ARGENTOM' CAPTOM' PRAEDA' NVMEI' ccclooo c. *Argentum captum in praeda numi C. M.* Nu-

mus argenteus est denarii quarta pars. (mm) Nota ccclooo, centum millia indicat. Auctor PRISCIANVS, qui *Centum*, inquit, *millia per I mediam, et tres in dextra parte apostrophos, et in sinistra rotidem contrarios, ccclooo* scribuntur (nn) Versibus XVI, XVII et XVIII hoc continetur: GRAVE' CAPTOM' AES' ccclooo cet. PONDOD. *Aes graue captum vicies semel centena millia pondo.* Quibus in versibus lineae numerorum notis imminentes veniunt considerandae, quae multum omnino ad ornatum scripturae conciliandum faciunt. Iam nouissimi qui insequuntur versus hi sunt: TRIOMPOQVE' NAVALED' PRAEDAD' PLOM' ROMANOM' DONAVET' CAPTIVOS' CARTACINIENSEIS' INCENVOS' DVXET' ANTE' CVROM' PRIMOSQVE' CONSOL' DE' SICCLEIS' CLASEQVE' CARTACINIENSEOM' TRIOMPAVET' EAROM' REROM' ERCO' S' P' Q' R' EI' HANCE' COLVMNAM' p. *Triumphoque nauali praeda populum Romanum donauit:*

(kk) *Lib. XXXIII, cap. III.* Argenteus autem numus iam A. V. C. CCCCLXXXV, C. FABIO Consule signatus est. Conf. CIACCONIVS, p. 31

(ll) Vid. GRVTERVS in notarum interpretatione p. 103, et SERTORIUM in *Notis* p. vlt. item *Notas ex antiquo codice* apud PVTSHIVM, p. 1687

(mm) *Numi denarii*, inquit

capti-
VARRO, *decuma libella, quod libram pondo as valebat, et erat ex argento parua.* *Lib. IIII de L. L. p. 46.* Aliquando etiam argenteus pro drachma accipitur. Vid. PRISCIANVS *Lib. de Pond. p. 1347*

(nn) *Lib. de Pond. p. 1346.* Vid. *Notas numerorum ex antiquo codice*, apud PVTSHIVM, p. 1687

XVI LOQVEL. COLVMNAE ROST BREVIS EXPOSITIO

captiuos Cartaginienses ingenuos duxit ante currum; primusque Consul de Siculis, et classe Cartaginiensium triumphauit. Earum rerum ergo. S. P. Q. R. ei hanc columnam posuit. LIPSIVS literas: NVOS^o D, quas CIACCONIVS in lineam viceffimam retulit, in viceffima prima collocauit. Atque vnam adeo lineam adiecit. PIGHIVS pro NVOS^o D; NVOS^o L posuit. In POPLOM, v litera est omiffa, quod aliis etiam in monumentis obferuatur, vt Romae in collegio Iefuitarum: (OO)

SIGNVM
HERCVLIS
DORVS LARC
DISP QVI ANTE VILLICVS
HVIS LOCI
D. D.

Vbi HVIS est pro huic exscriptum. Iam quod attinet ad id, quod ingenui ante currum sunt ducti, hoc bene multis exemplis CIACCONIVS (pp) illustrat

Haec de columna rostrata dicta sunt. Quum autem iam in eo sum, vt nomina eorum, qui sunt declamaturi, ex consueto proponam more; subit mentem meam ac versat SPIESII iuuenis inemoria, qui flebilis nuper caris occidit parentibus et mihi. Erat enim quod bene de eo sperarem; propter indolem praeclearam, et commoditatem, quam in declamando demonstrauit. S. E. T. L. Redeo ad declamatuos, qui sunt hi:

IOH. RVDOLPH. ALBERTI, quem denuo commendatum scholae Patronis cuperem, aliquod in Theologicis faciet dicendi periculum, Nempe, vt multa sint ac magna, quae ex iusto conuersionis rōy LXX in nouo foedere interpretando vsu, emergant commoda, enatrabit

LYDOVIC. FRIDERIC. GRVELMAN laudi id Anglis vertet, quum suis effecerunt scriptis, vt Theotisci aliquo sint castus et Venerum sermonis sensu imbuti

ANDREAS GEORG. HASE in eo erit totus, vt intimiorem rei militaris cognitionem ad omnes omnino eruditos pertinere ostendat. Ac quo id vincat commodius, modum etiam et rationem commemorabit, quo redigi in systema, rei militaris cognitio, et exigi ad ingemii aciem possit

Vt itaque se in scholam senatoriam conferre PATRONI ac literarum mansuetiorum FAVTORES; et stipare iuuenes, A. D. XXVII Septembris hora X declamantes, velint, omni cum obseruantia peto. Dabam Helmstadii A. D. XX Septembris, A. C. clo so CCLVII

(OO) GRVTERVS, n. XLIII, n. 3 (r p) Quem vide, p. 34

00 A 6427

ULB Halle
002 927 292


3



0018

R





Farbkarte #13

B.I.G.

4038

LOQVELARVM
IN
BASI
MNAE ROSTRATAE
REPERIVNDARVM
EVIS EXPOSITIO

QVA
ONOS ET FAVTORES
AD AVDIENDVM
RATVRAE ALVMNOS III
SEPT' HOR' X IN SCHOLA SENATORIA
DECLAMANTES
INVITAT

ONRADVS NAHMMACHER
HOLAE OPPIDANAE HELMSTADIENSIS ET
ENOBII MARIEVALL' SVBPRIOR

HELMSTADII
ANNO LEVCKARDIANO